Collection de la Bibliothèque des Exercices
de saint Ignace

Etudes et documents
paraissant tous les deux mois

N° 70
Juillet-Août 1921

DE

"Tribus Humilitatis Modis„

Quaestiones Disputatae

A

Variis Auctoribus, S. J.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

Bibliothèque des Exercices
7, Rue des Augustins
ENGHIEN (BELGIQUE)

Librairie P. Lethielleux
10, Rue Cassette
PARIS (6e ARRt)

Voir en 2e page un Avis important.

Collection de la Bibliothèque des Exercices

But. — Faire connaître peu à peu tout ce qui intéresse l'étude et l'histoire des *Exercices spirituels* de saint Ignace ; fournir, dans l'ordre pratique, les documents utiles à l'organisation, au recrutement et à la direction des *Retraites*.

Mode de publication. — Il paraît un fascicule tous les deux mois. Les six fascicules comprennent ensemble près de 320 pages et forment, après deux ans, un beau volume in-8° avec table méthodique.

Conditions d'abonnement. — Pour la **Belgique**, fr. 6.50 par an. S'adresser à la Bibliothèque des Exercices, 7, rue des Augustins, Enghien. Payer en *bon de poste* ou sur présentation d'une *quittance postale*.

Pour la **France**, fr. 6.50 par an. S'adresser à la Librairie P. Lethielleux, 10, rue Cassette, Paris, 6e.

Pour les autres pays de l'**Union postale**, fr. 7.50 par an. S'adresser à la Bibliothèque des Exercices, en payant l'abonnement par *mandat international*.

AVIS IMPORTANT

Pour éviter les frais superflus, nous recommandons à tous nos abonnés l'usage de payer spontanément le prix annuel, et nous remercions ceux qui nous ont déjà rendu ce service.

La Maison St Augustin d'Enghien, qui abrite la Bibliothèque des Exercices, a un compte courant à Bruxelles, Chèques Postaux, N° 373.65. On peut donc faire le versement à ce compte, en indiquant qu'il s'agit d'un abonnement à la CBE. Dans bien des cas, on pourra aussi se servir de l'intermédiaire d'une Procure.

Passé le mois de juin, nous effectuons les recouvrements avec une majoration proportionnée aux exigences de la poste.

Nos abonnés et amis doivent se douter que depuis la guerre nos recettes ne couvrent plus les frais que nécessite notre œuvre. Le papier, l'impression, et maintenant les relations postales, atteignent des prix hors de proportion avec les ressources d'une publication très spéciale, qui ne vise pas au grand nombre de lecteurs, et dont l'abonnement toutefois ne saurait guère croître davantage.

Collection de la Bibliothèque des Exercices de St Ignace

N° 70 Varii Auctores S. J.

DE

" Tribus Humilitatis Modis „

Quaestiones Disputatae

NOTE PRÉLIMINAIRE

Déjà, dans le fascicule 57 de la collection, nos lecteurs ont pu constater la divergence des interprétations, sur quelques points de la considération des « trois degrés d'humilité ». La question en litige n'y a pas été tout à fait élucidée, et nous croyons devoir y revenir. Dans le présent fascicule, nous donnerons la parole surtout au Révérend Père Henri Pydynkowski, dont on admirera le pénétrant esprit d'analyse. Cependant pour bien poser l'état de la question, nous citerons d'abord le Révérend Père François de Hummelauer avec lequel, dans le fascicule 57, le P. Pydynkowski a discuté fort charitablement ; puis viendra la réponse de ce dernier, qui vise principalement la lettre et la théorie de son confrère ; enfin nous reproduirons quelques pages du Révérend Père Maurice Meschler, dont l'interprétation, sans être en tous les points identique à celle du P. Pydynkowski, s'en rapproche beaucoup dans ses conclusions finales ; ici la divergence se borne à l'indifférence entendue plus ou moins nettement.

La Rédaction.

I

DE TRIBUS MODIS HUMILITATIS

SECUNDUM P. FR. DE HUMMELAUER (1)

Igitur primus modus constat ea habituali voluntate obsequendi Deo, « ut non veniam in deliberationem » committendi peccati mortalis ; quod est aliquid plus quam, ut non committam peccatum mortale : excluditur quippe etiam deliberatio non plane deliberata committendi peccati mortalis. Est ea autem habitualis voluntas obsequendi Deo « in omnibus », non obsequendi in sola materia gravi, cum habituali indifferentia quoad peccatum veniale seu, quod peius esset, cum habituali inclinatione ad committenda peccata venialia. Sed interna dispositio minus robusta imperfectiore manifestatur externo effectu.

Secundus modus est humilitas eadem ad maiorem perfectionem evecta accedente indifferentia. Scil. dispositio illa serviendi Deo fundamentum habet veritatem de fine hominis ; sed eius veritatis necessarium corollarium est indifferentia seu temperantia latissime sumpta. Ergo humilitas habens indifferentiam est etiam « perfectior humilitas ». Huius modi effectus is est, ut nullis propositis commodis vel incommodis « in deliberationem veniam » committendi peccati venialis.

Erit igitur expressio coordinativa « itemque ut » synonyma expressionis consecutivae « adeo ut » , quae in primo modo scribitur.

Tertia humilitas constat perfectiore illa oboedientia seu illo obsequio, quod praestatur non « legi Dei » solum seu « mandato », sed cuilibet divino beneplacito, quod non obligat sub peccato, imprimis divino beneplacito ut imitemur Christum non generaliore modo tantum, sed in omnibus. Quam voluntatem necessario consequitur habitualis inclinatio ad propria incommoda, ad paupertatem et opprobria.

(1) Meditationum et Contemplationum S. Ignatii de Loyola Puncta, Friburgi Brisgoviae, Herder, 1909, p. 38-44.

Supponitur porro is, qui exercitia facit, hanc « perfectissimam humilitatem » « velle obtinere ». A qua per se nullus vitae status excluditur; unde ad eam neque specialis divina « electio » requiritur. Verum extrema sententia sanctus Pater sermonem applicat ei rei, cuius gratia h. l. modos proponit, electioni status. Igitur medium obtinendae tertiae humilitatis, non unicum sed utique efficacissimum, hoc est : petere a Deo, « ut velit ipsum eligere ad hanc tertiam humilitatem » non qualivis modo, sed ipso vitae statu profitendam seu, uti de regno Christi dicitur, ut velit ipsum « eligere ac recipere ad talem vitam et statum ».

Primus modus non solum est minus perfectus quam secundus modus, sed positivam habet imperfectionem : ut scil. solum pertingat ad excludendum peccatum mortale, imperfectio est.

Unde ea imperfectio ? Quia is, qui primo solum modo est humilis, id solum quaerit, quod est « ad salutem necessarium » seu quod gehennam excludit : alio modo, quia motivum propter quod se humiliat est motivum timoris.

Solum motivum, quod excludit peccatum mortale et non ita excludit peccatum veniale, est motivum *timoris* correspondens meditationi de inferno. Secundo modo, sicut ipsi fundamento, correspondet motivum *iustitiae, aequitatis, honestatis ;* tertio modo motivum *amoris,* quod magis proprium est meditationis regni Christi et sequentium mysteriorum. Distinguuntur ergo tres modi objecto simul et motivo : primus est oboedientia ad salutem necessaria e motivo timoris, secundus est oboedientia perfecta e motivo iustitiae ; tertius est perfecta conformatio beneplacito Dei e motivo amoris.

Porro illi tres humilitatis modi nequaquam sunt ab invicem penitus separati, sed revera sunt *gradus,* quorum inferior non condicio tantum est, sed efficax medium superioris attingendi. Siquidem inferior quisque gradus superioris gradus objectum suo etiam motivo quadamtenus praeoccupat et ita ad idem objectum postmodum ex nobiliore motivo plenius assequendum viam sternit : sic timor ad excludendum etiam peccatum veniale pertingit ; sequi Christum pauperem sane etiam est honestum, saltem condicionate, i. e. ex hypothesi Dei ad eam

sequelam eligentis. Rursum inferior gradus superioris adminiculum exigit, ut suo objecto firmiter et stabiliter potiatur. Sic in primo gradu nemo perstare potest, nisi simul ad secundum ascendere nitatur secundum illud : « Quapropter necesse est *facere* nos indifferentes. » Perfecta secundi gradus indifferentia longiore tempore vix perseverabit incolumis, nisi amoris etiam Christi motivo animetur. Ipse timor, quem sanctus Pater intendit, profecto non est timor serviliter servilis omnisque amoris expers.

Humilitatis modi considerari possunt in *affectu* et in *effectu*. Duo modi priores nullam annexam habent condicionem neque in affectu neque in effectu : peccatum tam mortale quam veniale vitandum, indifferentia observanda absolute, non addita condicione, « ubi fuerit laus et gloria divinae maiestatis ». Aliter res se habet respectu tertii modi, qui cum materiam non mandati, sed consilii respiciat, neque consilii omnibus, sed quibusdam solum divina electione dati, necessario condicionatus est in affectu (« dum modo aequale aut maius fuerit servitium divinae maiestatis »), at absolutus in effectu ; quippe in effectum traduci a sanae mentis homine non potest, nisi constiterit prius de condicione impleta. Hinc rursum tertius modus in affectu omnibus cuiusvis condicionis patet, qui omnes in suo quisque statu perfectionem sectari, Christum amare, paupertatem spiritualem profiteri possunt ; ut autem in effectum traducatur, exigit divinam electionem et vocationem. Quare dicit S. Ignatius exercitantem debere petere in colloquio, « ut Dominus noster velit ipsum eligere ab hanc tertiam humilitatem ».

Igitur finis, ob quem sanctus Pater doctrinam de tribus modis proponit, non is est, ut nos ad primum vel secundum modum profitendum tandem pelliciat, id enim dudum factum esse iuremerito supponit : sed ut ad tertium nos manuducat, aptissimam scil. electionis peragendae dispositionem. Quae dispositio de se solo utique affectu consistit. Verum affectus ut sit genuinus, necessario etiam desiderium effectus includere debet, desiderium inquam condicionatum, si Deo effectus placuerit. Hoc rursum desiderium genuinum esse nulla re evidentius demonstratur, quam si quis Deo directe etiam supplicet, ut se

eligere dignetur ad tertiam humilitatem non affectu solum, sed etiam effectu profitendam. Immo etsi desiderium supponatur primum non fuisse plane sincerum, at eiusmodi supplicandi ratione, accedente praesertim quae supplicantibus adesse consuevit divina gratia, sincerum evadet atque genuinum. Simul autem sanctus Pater eum, qui exercitia facit, optime disponit non solum ad bonam universim electionem faciendam tertiique modi affectum concipiendum, sed ad eumdem insuper etiam effectu profitendum et ad statum perfectionis consiliorum Deo vocante amplectendum.

In tertii humilitatis gradus, quae variis locis occurrit, professione quaedam habetur expressionum discrepantia. Colloquium vexillorum habet : « dum modo possim eas tolerare absque ullius peccato et absque disgustu suae divinae maiestatis » ; cum quo congruit Reg. Summ. 11 : « si sine offensione ulla divinae maiestatis et absque proximi peccato foret ». In tertio humilitatis gradu duae recurrunt formulae : « ubi *aequalis* fuerit laus et gloria divinae maiestatis », et : « si *aequale aut maius* fuerit servitium et laus divinae suae maiestatis » ; quae duae formulae, quippe quae eodem loco eandem rem exprimant, evidenter sunt synonymae. Regnum Christi habet : « dum modo sit *maius* servitium tuum et laus tua ». Post binarios indeterminate ponitur : « dum modo sit servitium et laus divinae eius bonitatis ». Sane hae formulae omnes idem sonant. Quoties, si adiuncta solum attendas, *aequalis* fuerit Dei gloria sequi Christum pauperem aut non sequi, toties, ipsa hac sequela secundum intrinsecam suam excellentiam considerata, *simpliciter maior* erit Dei gloria sequi Christum ; idque multo magis, si solis attentis adiunctis gloria Dei non aequalis solum, sed *aequalis aut maior* fuerit. Erit autem saltem aequalis, quoties nullum omnino suberit peccatum, nulla divinae maiestatis offensio.

II

RESPONSIO P. PYDYNKOWSKI

TUM AD THESIM PRAECEDENTEM,
TUM AD EPISTOLAM
P. DE HUMMELAUER

QUAESTIO I. **Per quid modi et gradus humilitatis apud S. Ignatium distinguuntur ?**

Scripseram ego, humilitatem S. P. Ignatium ponere in triplici submissione voluntatis humanae sub divina. Eadem nempe quoad intensitatem voluntas humana subditur divinae singulis vicibus minus intensae. Prima vice enim Deus intentat poenam aeternam, secunda vice poenam temporalem, tertia vice nullam poenam, sed solummodo minorem suam complacentiam. (1)

Ad haec R. P. de Hummelauer respondet : « Si quaeratur unde dignoscatur haec intensitatis in divina voluntate diversitas, dixerim equidem dignosci e *motivis*, quae Deus appellat : primum timoris, postea justitiae, tandem amoris ».

Videtur itaque R. P. de H. meos tres gradus intensitatis voluntatis divinae, ergo etiam meum principium distinctionis graduum agnoscere ; sed negat diversitatem illam procedere et dignosci posse e triplici sanctione ; ipse vero signa haec ponit in « motivis quae Deus appellat ».

Discutiamus igitur imprimis signa quae ipse P. de H. statuit. Illa autem sunt : timor, justitia, amor. Signum igitur, Deum maxima cum vi aliquid velle ab homine, est : quia incutit illi timorem. Sed tamen jussio illa, sit etiam justa necesse est ; tantummodo, juxta P. de H. , videtur Deus praescindere in hoc casu ab justitia, et solum timorem homini incutere. Signum minoris intensitatis consistit in hoc, quod Deus praescin-

(1) CBE. 57. p. 26.

dit a timore, et ostendit homini solam justitiam rei quam jubet, et homo facit eam ideo solum quia justa est. Signum denique minimae intensitatis, juxta eandem theoriam, est motivum amoris, i. e. homo movetur ad faciendum id quod Deus vult, praecise quia Deus id amat. Ergo iterum praescindendo ab justitia et timore, quamvis illa quae Deus amat necessario et justa esse debeant, et omissio eorum timorem incutiat oportet.

Signa igitur illa R. P. de H., e quibus homo cognoscere possit quam intense Deus aliquid vult, valde perplexa et incerta essent; cum tamen S. Ignatius signa haec ponat clare et simplici modo, per triplicem, ut diximus, sanctionem, quod e textu S P. Ignatii facile et immediate eruitur.

Alia ex parte, signa R. P. de H. videntur destruere ipsam humilitatem. Si enim voluntatem meam subdo divinae ob formale motivum timoris, tunc excludo formale motivum humilitatis, quod est auctoritas sive majestas Dei. Idem dic de formali motivo justitiae et amoris Christi.

Non potest ergo mens S. Ignatii esse, ut tres illi gradus humilitatis distinguantur juxta tria illa motiva, moventia hominem ad subdendam suam voluntatem divinae, praeter illud unicum: timoris reverentialis.

Neque ad scopum quem S. Ignatius in hac meditatione sibi praefixerat, motiva illa inservire possent. Scopus etenim ejus est: repraesentare exercitanti triplicem, singulis vicibus crescentem submissionem voluntatis humanae tendentis ad perfectionem, respectu voluntatis divinae; in qua praecise submissione essentia humilitatis consistit. Juxta enim S. Thomam, « superbia proprie respicit *defectum subjectionis hominis ad Deum* ». Inde concludo: ergo humilitas, utpote oppositio superbiae, *subjectio hominis* ad Deum est. Subjectio vero hominis ad Deum reducitur ad subjectionem voluntatis humanae sub divinam, ob solam agnitam dignitatem Dei et vilitatem hominis. Inde ulterior conclusio: ergo juxta mentem S. Ignatii, non est inquirendum aliud principium distinctionis graduum humilitatis, praeter triplicem intensitatem voluntatis divinae, cui libere subditur voluntas humana, quae intensitas e triplici sanctione clare patet.

Videamus nunc quomodo R. P. de H. mea signa, sive triplicem sanctionem refutet in sua epistola. (1) Dubitat imprimis utrum « intensitas illa dimetienda sit e *poenis* quas comminatur Deus » ; et solvit hoc dubium sensu negativo, dicens : « Amor non extorquetur minis ». Utique ; attamen non de amore, sed de intensitate voluntatis Dei est sermo. *Amare* autem et *velle* non sunt synonyma. Verum quidem est, Deum plus amare homines tertiae humilitatis quam secundae et primae, sed non est verum, Deum velle majore intensitate, ut major sit numerus hominum tertiae humilitatis quam secundae et primae. Immo, dicendus est Deus majore intensitate salvificae suae voluntatis velle, ut quamplures homines habeant saltem illam primam humilitatem ; sine illa enim salvi esse non possent. Et quia prima humilitas facilior est obtentu quam secunda et tertia, ideo homines eam habentes minus habent meritum, et eo ipso minus digni inveniuntur, qui a Deo diligantur, quam habentes secundam et tertiam.

Nec illa sententia R. P. de H. : « Amor non extorquetur minis » universaliter vera est. « Perfecta » quippe solummodo « charitas foras mittit timorem, » ergo et minas ; imperfecta e contra multum a timore juvatur. Et, siquidem amor nobis praecipitur (« Diliges Dominum Deum tuum...hoc est primum mandatum »), ergo pro transgressoribus hujus mandati sanctio sive minae subintelliguntur debenturque.

R. P. de H. ulterius interrogat (2) : « Num ideo quia Deus nullas comminatur minas ei, qui absque peccato, sive mortali, sive veniali, solummodo non ascendit ad tertium gradum vel ab eo in quibusdam deficit, dicendus erit Deus minore intensitate velle tertium gradum quam secundum ? »

Respondeo primo : gratis supponitur, Deum nullas minas comminari ei qui non vult ascendere ad tertium gradum, vel ab eo in quibusdam deficit ; si enim hoc scienter et volenter facit, comminatur illi saltem minorem gradum suae charitatis ; vel etiam poenas illorum invitatorum ad prandium apud S. Lucam (XIV,24).

(1) CBE. 57, p. 26.
(2) CBE. 57. p. 26-27.

Respondeo secundo: Imprimis videtur esse ignoratio elenchi. Non est enim quaestio qua intensitate Deus velit ipsum gradum humilitatis, quia certe major humilitas magis illi placet; sed quaestio est de signo per quod discernere possimus istos gradus. Et tunc distinguo: ille qui non ascendit ad tertium gradum gnarusne est istorum graduum humilitatis an non? Si ignorat, tunc est extra quaestionem. Si scit non habens ullum peccatum, et non vult ascendere ad tertium gradum, ergo non vult ulteriorem perfectionem, sive scienter committit imperfectionem, quam ipse R. P. de H. optime in sua epistola definivit, et eo ipso stat in 2° gradu humilitatis; id est, subjicit quidem voluntatem suam divinae praecipienti aliquam gloriam Dei sub *peccato veniali*, et non subdit eandem eidem praecipienti, vel potius invitanti illum ad faciendam aliquam gloriam sub majori *perfectione*.

Si itaque cum P. de H. interrogemus, quem gradum majore intensitate velle dicendus sit Deus, — tunc respondendum est, sicut superius jam diximus, Deum maxima intensitate salvificae suae voluntatis velle, ut quamplurimi homines sint in primo gradu; minore intensitate vult ut totidem sint in secundo, et minima ut aeque multi sint in tertio.

Haec dicta sint de distinctione graduum humilitatis S. Ignatii.

Quaestio II. **Cur S. P. Ignatius in 3° modo humilitatis non apposuerit durissimas illas conditiones 1i et 2i modi: « ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent »?**

Ad hanc questionem ego quidem respondi (1): « Ideo, quia tantus heroismus non est puri hominis, sed solum Hominis-Christi, ejusque Benedictae Matris ». Ad haec R. P. de H. dicit: (2) Rationem hujus rei « affers gratiam omnes humanas vires excedentem... Utique requiritur *gratia major*: sed nonne item requiritur gratia pro 2°, imo pro 1° gradu »? Impri-

(1) CBE. 57. p. 22.
(2) Ibid. p. 27.

mis non assigno ego gratiam omnes humanas vires excedentem, sed affero heroismum vires puri hominis excedentem ; non tamen sine exceptionibus ; quia et B. V. Maria, quae est purus homo, tempore passionis Christi tertium gradum humilitatis cum durissimis illis conditionibus explevit, et fortassis alii nonnulli Sancti, ut Moyses, S. Paulus, S. P. Ignatius etc.. Verum quidem est, ad heroismum christianum requiri gratiam et quidem non solum pro 3°, sed et pro 2° et 1° gradu ; tamen consensus humanae voluntatis ad gratiam suscipiendam necessarius, facillimus est in 1° gradu ; difficilior in 2° ; difficillimus in 3°. Nolens igitur S. Ignatius eum adhuc difficiliorem reddere, — non apposuit illas durissimas conditiones, de vita adimenda vel de toto mundo lucrando.

Ratio vero ipsius P. de H. cur non apponantur illae conditiones est, quia cum illis impossibilis esset *aequalis* gloria Dei causata acceptatione vel rejectione divitiarum, honoris etc.. Dicit nimirum P. de H. (1) : « Si ego in iis sum circumstantiis, ut sine ullo peccato, sive veniali sive mortali, possim acceptare divitias, tunc in casu proposito divitias recusare, non erit « aequalis laus et gloria divinae majestatis » , quia obligor illas acceptare ad praecavendum homicidium (« quod mihi vitam auferrent »).

Argumentum hoc, ut reor, nititur non recta suppositione, quasi scilicet ipsa *acceptatio* divitiarum vel *renuntiatio* earundem essent actus afferentes aequalem gloriam Dei. In tali suppositione re vera nunquam erit aequalis gloria Dei quia semper e parte renuntiantis divitiis major erit. Sed non haec est mens S. Ignatii (ut mox enucleatius videbimus) ; i. e. non ipsa acceptatio vel renuntiatio divitiarum constituere debet illam aequalem gloriam Dei, sed acceptatio illa vel renuntiatio media sunt obtinendae alicujus aequalis gloriae Dei. Et is praecise est casus in 2ª et 3ª humilitate, ubi de aequali gloria est sermo. Aequalis igitur illa gloria obtinenda demum est uno vel altero medio, i. e. acceptatione vel renuntiatione divitiarum.

Ad rem magis illustrandam fingamus sequentem casum : Qui-

(1) C B E. 57, p. 274

dam homo pauper, sed tendens ad perfectionem, proponit alicui diviti ut aedificet scholam catholicam. Diviti placuit propositio. Statim cum architectis et viris peritis computat ad hoc opus necessaria expensa, et invenit summam 50000 ducatorum. Dicit igitur homini pauperi : « Accipe a me hanc summam pecuniae et fac ea quae mihi proposuisti ; nullas rationes expensorum accipere a te volo. Homo pauper, peractis exercitiis S. Ignatii et electionibus juxta regulas ibidem contentas, putat, Deum *malle,* ut fundatio illius scholae fiat ab ipso divite. Renuntiat igitur accipere illam pecuniam, et simul honorem qui sibi exinde obvenisset. Gloria igitur Dei e schola illa eadem erit, sive eam iste pauper aedificaverit sive ille dominus.

Quoad vero textum S. Joannis (x. 39), quem R. P. de H. contra me adduxit, respondeo : Christus optime scivit, illo tempore majorem fuisse gloriam Patris ex electione vitae longioris prae breviore. In Gethsemani autem e contra, aequalis gloria (speculative et abstracte loquendo) erat ex calice illo tum acceptando, tum renuntiando ; Christus tamen, exercens 3^{um} gradum humilitatis, illum acceptavit, non obstante atroci homicidio, immo et deicidio exinde secuturo.

Ulterius R. P. de H. dicit : « Finxeris quidem casum aliquem subtiliorem » etc... Casus quem modo finximus non est valde subtilis, sed, etiamsi esset, tamen doctrina S. P. Ignatii in hac consideratione contenta, non ad solos simplices casus resolvendos applicanda censenda est ; tamen, ut adhuc clarior fiam, sumamus casum multo simpliciorem : Quidam dominus, ruri habitans, vult die Veneris audire Missam in ecclesia, tria milliaria ab ejus domicilio distante. Ad illam ecclesiam potest vel pedibus vel rheda pergere. Igitur iter illud, aut pedestre aut cum rheda, sunt duo media necessaria ad obtinendam unam eandemque gloriam Dei, quae emergit e Missa audienda ; sed unum gratius est naturae prae altero. Homo itaque ille, si habet 2^{am} humilitatem, eliget rhedam, — si 3^{am}, — iter pedestre.

De cetero, quia in tertio illo modo humilitas identificatur cun charitate, perfecta autem charitas excludit timorem aeque ac desiderium proprii emolumenti, ideo inconveniens erat po-

nere illas conditiones de vita adimenda vel de toto mundo lucrando. Et haec est tertia resolutio (forte melior aliis) quaestionis de non appositis a S. Patre illis durissimis conditionibus. Christo quidem proposita fuerat a Satana conditio de lucrando toto mundo : « Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me » (Mat. IV. 9) ; sed haec, materia erat primae humilitatis. Pater vero aeternus Christo proposuerat, ut acceptaret, vel non, calicem amarissimum ; et in utroque casu aeque dilectissimus ejus Filius esset permansurus et nos redempturus ; Christus tamen, persentiens majus *malle* Patris, praeelegit amplecti calicem. En tertia humilitas cum durissima conditione !

Quaestio III. : **Cur S. Pater in 2° humilitatis modo inducat sermonem de indifferentia ?**

Ad hanc quaestionem ego quidem, in mea epistola, respondi mihi : S. Pater ideo hoc fecit ut sit capitalis distinctio secundam inter et tertiam humilitatem : absentia quippe peccati venialis in tertia quoque humilitate includitur. Ad constituendam enim secundam humilitatem indifferentia illa (seu potius aequilibrium) nihil confert. Humilitas quippe secunda, absentia peccati venialis plane absolvitur, exhauriturque, sicuti primam absentia peccati mortalis constituit ; ita ut ea verba : « Si ego in tali me puncto inveniam ut non velim... . ubi aequale fuerit servitium Dei Domini et salus animae meae » — omnino superflua et non ad rem viderentur ; ad distinguendum autem secundam humilitatem a tertia prorsus sunt necessaria. Et ideo S. Ignatius partem earum essentialem in 3ª quoque humilitate repetit verbo tenus. In 2ª dixit : « Ubi aequale fuerit servitium Dei Domini nostri », et in 3ª « Ubi aequalis fuerit laus et gloria divinae Majestatis ». Si igitur ubi aequalis fuerit gloria Dei, tertia humilitas, ut non aequalem, sed majorem obtineat gloriam in actu, media duriora eligit, — tunc pro secunda humilitate non aliud remanet nisi ut in eodem casu aequalis gloriae, ut suo modo eandem actu majorem faciat — eligat media mitiora. Necesse est autem omnino ut una et altera humilitas eligat ista vel altera media, si ad actum hanc glo-

riam vult adducere. Haerens enim in illo aequilibrio inter mitiora et duriora media nullam gloriam Dei efficiet.

Ad hanc quaestionem R. P. de H. dicit solum (1) : « Indifferentia 2i gradus est plane eadem atque indifferentia fundamenti, sunt enim verba vix non eadem ».

Aspiciamus igitur propius illa « vix non eadem verba ».

In Fundamento sermo de indifferentia bis occurit : primo loco : « Necesse est facere nos indifferentes ad res creatas omnes, quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii, et non est ei prohibitum », et haec verba prorsus non sunt eadem ac in 2ª humilitate. In altero loco Fundamenti dicitur : « Ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem ». Haec altera verba sunt quidem « vix non eadem » ac illa in 2ª humilitate ; differunt tamen imprimis eo quod in 2ª humilitate omittitur « sanitas et infirmitas » ; differunt secundo (et hoc est illud capitale discrimen, quod R. P. de H. non advertit), eo quod in Fundamento non est apposita conditio : « Ubi aequale fuerit servitium Dei Domini nostri ; et salus animae meae ». Animadverdum etiam est, in Fundamento (secundo loco) et in 2ª humil- non legi vocem « indifferentia », sed utrobique quaedam, ut sic dicam, « aequivoluntas » : in Fundamento quidem : Ut *non velimus magis*, hoc vel illud, in 2ª autem humilitate : « Ut non velim, neque afficiar » magis ad hoc vel illud. Unde sequitur, nec in Fundamento (secundo loco), neque in 2ª humilitate sermonem esse de proprie dicta « indifferentia » voluntatis, sed potius de ejusdem aequilibrio. Discrimen autem indifferentiam inter et aequilibrium magnum sane est. Voluntas enim indifferens « erga res creatas omnes » expeditissima est ad eligendas easdem res vel rejiciendas in quantum sunt media vel impedimenta gloriae Dei, voluntas autem manens in aequilibrio, i. e. inter duo media aeque apta ad efficiendam aliquam gloriam Dei, nihil omnino perficere poterit, sive omnino inepta est, donec eligat unum eorum, seu donec disrumpat suum aequilibrium. Itaque homo in 2ª specie humilitatis

(1) CBE. 57. p. 27.

positus, tamdiu in aequilibrio inter gratum et ingratum naturae medium manere potest et debet, quamdiu nondum perspectum sibi sit utrum illorum mediorum majorem Dei gloriam causabit. In concreto enim et in actu impossibile est uno eodemque medio duas, aequales inter se, glorias Dei perficere. Simile quid theologia moralis nobis offert in materia de conscientia perplexa. Si perplexo « utrumque praeceptum aequale videtur et instat, eligat ad libitum » (1). S. Ignatio res agitur non de peccato sed de majori perfectione ethica, et dicit. Qui habet 2^{am} humilitatem, illi videbitur practice major Dei gloria ea quae causatur medio grato naturae ; habenti 3^{am}, major Dei gloria e parte medii durioris naturae apparebit.

Aequalitatem autem illam gloriae Dei, provenientem ab uno vel altero medio, homo secundae humilitatis metitur absentia peccati venialis. In 1^{a} vero humilitate mensura aequalis gloriae est absentia peccat mortalis ; et in 3^{a} humilitate absentia imperfectionis. Ex dictis patet, cur ad plenam intelligentiam trium humilitatum S. Ignatii opus nobis sit tribus criteriis aequalis gloriae Dei in iisdem tribus humilitatibus (2).

Ulteriora verba P. de H. sunt : « Indifferentia tum fundamenti, tum 2^{ae} humilitatis tota et unice fluit e fine rerum comparato cum fine hominis, et non fluit ex amore Christi » (3). Ad hoc respondeo : Finis rerum est servire homini tanquam media sive instrumenta gloriae Dei, — finis vero hominis — servire Deo Sed quomodo ad media et instrumenta indifferentes esse possumus, si ardenter desideramus finem iisdem obtinendum ? Non potest igitur « indifferentia fluere e fine rerum comparato cum fine hominis ». Ad amorem autem Christi indifferentia est conditio sine qua non ; ipso vero amore facilis fit obtentu et augetur.

Ad alias quaestiones in litteris meis sublatas R. P. de H.

(1) *Comp. theol. mor.* card. Vivès, edit. 3^{a}, p. 27.

(2) De his criteriis sermo est in litteris meis ad P. de H. C B E. 57. p. 24-25.

(3) In fasciculo CBE. 57, p. 27, verba illa per mendum typographi vitiose sunt adducta.

non respondet ; videtur igitur eas approbare. Quaenam autem illae sint, vide, benevole lector, in fasciculo CBE. n° 57.

Quaestio iv. : **Mens S. Ignatii circa « aequalitatem gloriae et servitii Dei »**

